

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Petrus Musaeus Franciscus Elers

**Dissertatio moralis De Jure in Genere, Et In Specie De Jure Naturae; Cuius
Theses Supremo Numine Annuente,**

Rintelii: Vidua Luciana, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522704>

Druck Freier  Zugang



52 b. 6.

Pra - Z 380 p

A - R

A - Z

Pr. 119 p

A - Z

a - e

110 p

20 p

A - Z

167 p 4nd

19 p

92 p

Pr. 32 p

A - E

A - M

A - T

34 p

A - E

56 p

A - E

A - T

A - F

A - L

A - G

A - B

82.


313.

Fa-1092 (82.)

P
S. The
Pri
Dif
T

Perpetuo R
M. BAR

CHR



Katalog



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786522704/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522704/phys_0004)

DFG

8

22.

Dissertatio moralis De Jure in Genere,

ET IN SPECIE
De Jure Naturæ;

Cujus Theses
Supremo Numine Annuente,

SUB PRÆSIDIO

Petri Musæi, S.S. Th. Doct.

eiusque ac Philosoph. Prof. ordinarii
Dn. Præceptoris, Patroni ac Hospitis sui omni observantia
ætatem devenerandi,


Publicè defendendas suscipiet
FRANCISCUS Elers/
Brunsvigius.

Addiēm XXVIII. Martii.



RINTELII, Ex Officina Viduæ Lucianæ.
Anno 1659.

11. 14.
13. 12.



THESES
De Jure in Genere
Et in Specie
De Jure Naturæ.

US, ut est in persona, quæ jure agit, est legitima & libera ad aliquid agendum potestas, quæ Græcis ἐξουσία dicitur, v.g. potestas vivendi de sumtu Ecclesiæ, quam sibi asserit Paulus I. Corinth. IX, IV.

2. Huic opponitur moralis necessitas, qua quis ita ad aliquid agendum adstringitur, ut non agere, injustum sit ac peccatum. De hac loquitur Paulus I. c.v. XVI. ubi ait: *Etenim si euangelizem, non est, quod glorier: Necesitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi, nisi euangelizem.*

3. Non autem peccant, qui de jure suo cedunt, sed interdum agunt laudabilius, ut est I. Cor. VII. 38.

4. Objectum si spectes, omne jus vel *in personam*, vel *circumstans* est. Res Aristoteles χρήματα appellat, πάρτα ὅσων οὐδέποτε μηλέται: I. IV. Eth. c. I.

5. Jus *in personam* est, quæ alteri in alterum ex utriusq; statu ac conditione competit potestas, v.g. patri in filium, domino in servum, marito in uxorem. Habet quidem etiam jus servus, ut pro perpetuis operis alimenta à domino & alia ad vitam necessaria accipiat: & filius, ut liberalius, quam servus, alatur atq; educetur; sed neutrum jus *in personam* est.

A

6. Res

22.

23.

24.

10.

14.

12.

11.

DFG

2

6. Res aliqua dupliciti jure ad nos pertinet: vel quia nostra
jam est, sive penes nos ejus sit possessio, sive ministris; vel quia
ex facto nobis ab altero debetur, sive alias sit res nostra, sive fu-
erit, sive ne quidem fuerit.

7. Res nostra est vel secundum *substantiam*, & quia omni-
bus nostris usibus devincta; vel secundum *accidentia*, ut quia
nostrâ tantum in possessione est, vel nobis servitute, vel pigno-
re obligata est. Aristoteles feret *κτηματα* appellat.

8. Factum, ex quo aliquid nobis ab altero debetur, idem
συνάλλαγμα dicit, idque facit duplex, *ἐνέστιον* & *ἀνέστιον*. Alterum
est mutua *conventio*, ut emtio, venditio, commodarum,
depositum &c. Alterum vero *delictum*, idque vel *clandesti-
num*, ut furtum, adulterium, vel *violentum*, ut flagellatio, mors,
rapina. Vide plura apud ipsum I.V.Eth. c. V.

9. Effectus utriusque juris est, ut nisi obtineamus, quod
nostrum est, aut nobis debetur, id persequamur in judicio. Un-
de Aristoteles judicem jus animatum appellat, tanquam qui
justitia corrective suum cuique tribuat. I.V.Eth. c. VII.

10. Idem autem est jus, quo res est nostra aut nobis debetur,
& quo eam persequimur in judicio.

11. Cum persona nihil nobis **ex facto** debet, sed tantum rem
nostram possidet; tum nullâ in personam intentatâ querelâ,
rem nostram esse intendimus. Cum vero nobis aut nostra cau-
sa aliquid **ex facto** debet, tum de persona ipsa conquerimur,
vel quod paciscendo nos circumvenerit, vel quod pactum non
servet, vel quod moram faciat, vel quod delicto damnum dede-
rit. Vide *Arist. l.c.*

12. Jus ita pro potestate morali sumptum est fundamen-
tum, ex quo & termino resultat relatio, quâ *alteri cum altero
jus esse* dicimus.

13. Ali-

12. Aliud au-
mio ellus in-
cum filio, nequ-
Am. l.V.Eth. c.
14. Circa ren-
bus, ne prohibi-
teant. Aq-
prohibeam fer-
minicam in se-
quamvis alia
15. Circa n-
vellico, quiven-
liquid aufaciens
16. Aperlon
potest. Qua-
quod licuum,
Quatenus vero
teri ab altero fi-
triv. Gracis N.
17. Estiau-
Anistochi voc-
tive fiat aufa-
nd Latinos f-
scipitur.
18. Jus etiam
gofenlu plus e-
st adum inrele-
pponitur volu-
to. Ulterius ju-
ideniden tan

13. Aliud autem est jus *in alterum*, aliud cum *altero*. Dominus est jus in servum, patri in filium, sed non cum servo, non cum filio, neque huic cum illo, nisi καθ' ὄμοιότητα, ut docet Arist. *I.V. Eth. cap.X.*

14. Circa rem nostram nobis indefinite jus est cum omnibus, ne prohibeant nosstrā uti, aut ne admoniti possessionē detineant. Atque ita etiam domino jus est tum cum aliis, ne prohibeant servo uti vel detincent, tum cum ipso servo, ne dominicam in se potestatem neget, quam dominus perinde ut quamvis aliam rem suam sibi meritō adserit.

15. Circa rem debitam nobis determinatē jus est cum hoc vel illo, qui vel inutua conventione vel delicto ad dandum a liquid aut faciendum aut nosstrā causā patiendū sese obstrinxit.

16. A personis jus transfertur ad id, quod iure fit aut fieri potest. Quatenus à persona jure agente procedit, idem est, quod licitum, quod scholastici *negative justum* appellant. Quatenus verò à persona jure obstricta oritur, est id, quod alteri ab altero fieri est debitum; quod scholasticis *justum positivè*, Græcis δίκαιον dicitur.

17. Etsi autem δίκαιον sive justum, tum factum, quod Aristoteli vocatur δίκαιοπάγημα, tum quod fieri debitum est, sive fiat aut factum sit, sive minus, complebitur; Justamen apud Latinos fere posteriori sensu, quo objectum justitiae est, accipitur.

18. Jus etiam sumitur, ut est regula actionum justarum. Quo sensu plus est, quam objectum justitiae, quia simul includit actum intellectus, quo id, quod alteri ab altero est debitum, proponitur voluntati & repräsentatur.

19. Ulterius jus sub ratione regulæ, etsi latius quam lex patet, identidem tamen pro lege accipitur, & apud Aristotelem

in ius naturale & legitimū dispescitur. Hujus tota essentia in lege consistit, quia seclusa lege, non est jus aut justum, sed plane indifferens. Illud autem naturā rectum vel justum est, sed consequenter à voluntate Dei iubentis aut vetantis vim legis nanciscitur.

20. Dic̄tum autem est jus naturæ, vel quia ductu luminis naturæ est cognitum, seclusa omni sanctione humanâ, immo speciali quoque Dei revelatione, vel quia circa ea versatur, quæ suapte natura sunt bona vel mala, debita vel illicita.

21. Dari hujusmodi aliquod jus, non tantum politiores, sed barbaræ etiam & efferæ gentes agnoverunt. Hinc Aristoteles lib. I. Rhet. XIII. ait: *Est enim quoddam, quod augurantur omnes, naturā commune justum & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, justum esse, inter dictum sepelire Polynicem, quasi natura sit id justū. Non enim id nunc, & heri, sed semper fuit. Et nemo scit unde ejus ortus sit.* Et ut Empedocles dicit de non interficiendo quod animatum est: *id n. non quibusdam quidem justum est, quibusdam verò non justum, sed hoc quidem omnium legitimū per que latum aetherā, omnibus in partibus extensum est, per que ingentem splendorem.* Et Cicero lib. I. de legibus scribit: *Nihil est profectō præstabilius, quam planè intelligi nos ad justitiam effrenatos, neque opinione, sed naturā constitutum esse jus.*

21. Fundamentum ejus est, objecti cum appetitu rationali convenientia vel disconvenientia naturalis. Omnia enim bonum aliquod appetunt, teste præter experientiam Aristotele lib. I. Eth. c. I. lib. X. II. & I. End. cap. ult. Et quod cujusque naturæ est conveniens, id bonum ejus est. Ita corpori conveniens est sanitas, oculis visus, plantis nutritio. Et in universum omnia, quæ cognoscendi vicarent, ad bonum sibi proprium naturali quadam inclinatione feruntur. Ergo & animalibus ac maximè hominibus

minibus aliquid naturā bonum vel malum esse necessum est,
quod ex æquo appetant, vel aversentur.

22. In quantum unumquodque homo sibi convenire vel
non convenire cognoscit, in tantum etiam appetit vel aversa-
tur. Pro duplice itaque cognoscendi geminum quoque ap-
petitum habet; alterum cum bestiis brutis communem, quo
in ea fertur, quæ sensibus grata sunt, & quæ molesta, aversatur;
alterum rationalem & sibi proprium, liberam videlicet volun-
tatem, qua expetit, quæ rectæ rationi probantur, & quæ non
probantur, fugit.

23. Rationi ex naturā suā convenientis est verum, tam theo-
reticum, quam practicum. Quemadmodum scilicet quare o-
culo visus fit conveniens, nulla alia reddi potest ratio, quam
quia hujusmodi est proportio oculi ad visum, & quia oculus
naturā ad videndum est factus: ita aptissima & naturalis est
proportio rationis sive intellectus ad verum, quam verum, adeo
ut non possit magis falsis adsentiri, quæ quidem falsa esse no-
rit, quam oculus, illuminato aere, non percipere ac discerne-
nere colores: cum per naturam quoque ad id facta sit & ordi-
na ratio, ut assentiatur vero, & falsis dissentiat.

24. Sed & liberæ voluntati ex natura sua convenientis vel
disconveniens est, quicquid practicè verum vel falso est; non
quidem sub conreputaciōne vel falsi, sed ut omnia, quæ sub ap-
petitum cadunt, sub ratione boni vel mali. Quod ipsum inde
morale appellamus, quia rectæ rationi probatur vel non pro-
barur. Naturalis n. & convenientissima, atq; evidens est pro-
portionis voluntatis ad bonū morale, ut est tale bonum, h.e. ut est
bonū rectæ rationi consentaneū: Idq; eò maximè quod volun-
tas nostra est appetit⁹ rationalis, cuius natura & essentia est hu-
jusmodi, ut nisi affectu vel virtu aliquo sit præpedit⁹, appetat &

A 3

pro

Morale -

10.

14.

13.

12.

prosequatur, quod practicè rationi consentaneum. Hujusmodi sunt v.g. *Deum esse colendum*, *parentes esse honorandos*; quæ nisi ratio vera esse judicaret; voluntas ut convenientia sibi atque adeo moraliter bona neutiquam prosequeretur. Ex contrario voluntatis ad malum morale, hoc est, id, quod rectæ rationi est dissentaneum, nulla est proportio, nisi quod absurdissimum, rationi quoque convenire dicas, ut falsisassentiatur. Neque enim malum est moraliter, nisiquod practicè falsum. Hinc bene Aristoteles l. ii. Eu. t. c. X. *Vult naturā quidem (voluntas) bonum; præter naturam, & ex mentis quadam eversione malum.*

25. De recta ratione, quid sit, & quibus potissimum competit, disputari hodiè & controverti solet, idque eo potissimum, quod sapientissimi etiam de rebus agendis vel fugiendis diversum sentiunt: Sicut aliud Platoni, aliud Aristoteli de bonorum communitate visum est: Ut aliorum sapientum opiniones varias de rebus aliis omittam. Quod si autem daretur recta ratio, illa una & eadem esset in omnibus, & maximè in sapientes caderet.

26. At enim nullà difficultate, quæ objiciuntur, dilui possunt. Recta ratio intra certum rerum agendarum vel fugienda-rum genus se continet, videlicet quæ ex principiis practicis per necessariam & evidenter consequentiam dijudicari possunt & decidi. Cætera ad subiectam ipsius materiam non spectant, sed sapientum opinionibus sunt exposita, ut quisque quod sibi optimum videtur, probet. Hinc quæ inter ipsos oriuntur dissensiones, non incertam reddunt aut tollunt rectam rationem, quando earum rerum sunt, quæ ex immotis rectæ rationis principiis definiri ac deducinon possunt.

27. Non interim diffitendum est, quin etiam viri sapientes in nonnullis à recta ratione aberrare possint, & multi olim aberraverint, vel præconceptis opinionibus, vel covetudine & doctri-

7.
doctrinā ita ducti, vel abrupti iis vitiis atque affectibus, in quos
per naturam sunt vel erant procliviores. Quorum vitio & er-
tore nihil rectā rationi potest detrahi. An autem & quo usque
Plato in afferendā bonorum communitate à rectā ratione de-
flexerit, & quid fraudi ipsi fuerit, altioris est indaginis, quam ut
hic expediri possit.

2S. Est autem ex rectā ratione agere, cum anima pars irra-
tionalis non prohibet rationalem suum exercere munus, ait Ari-
stoteles l. II. M. M. cap. X. Ubi repetendum est ex lib. I. Eth. c. ult.
duas esse in homine partes animae, rationalem unam, alteram
irrationalem. Pars animae rationalis intellectum & volunta-
tem complectitur: Sed irrationalis est ὄπεξις ἀνθρώπῳ. Intellec-
tus per se & ductu luminis naturae recte judicat de rebus a-
gendis & fugiendis, nisi reprimatur ab inferiore facultate &
impediatur. Non autem impedimentum à voluntate: hæc n.
per se intellectus judicium sequi nata est; neque à potentissimo lo-
co motivis, quæ necessariò obsequuntur; sed ab appetitu sen-
sibus respondentे objici potest, qui ita rationem audit, ut sæpe
ei refragetur, quin etiam corrumpt & in partes suas eam tra-
hat. Nempe cum affectus oriuntur in appetitu vehementio-
res, aut longa consuetudine vicia & pravae qualitates inoleve-
runt; adeo turbata & obnubilata atque in præceps acta est ra-
tio, ut non quod honestum, sed quod affectibus vel pravae ap-
petitus dispositioni consentaneum est, agendum esse judicet;
perinde ut Ihericis, quia oculi flavo colore sunt suffusi, o-
mnia flava esse videntur. vide Arist. l. III. Eth. cap. VI. Quod
si autem appetitus sit diuturna consuetudine castigatus ac be-
ne dispositus, ut non ultra jucundis vel tristibus afficiatur, quam
debet, aut ut cuncti alias commoveantur, dummodo pro tempo-
re vehementiori affectione sit intactus, ratio de rebus agendis
vel

22.

21.

11.

14.

13.

12.

vel fugiēdis rectē judicat, quoad ex principiis immotis deduci possunt.

29. Cæterū pars animæ irrationalis non rectam facit rationem, sed tantum removet prohibens, dum vitiis atque affectibus impolluta perstat. Neque etiam recta ratio rerum agendarum vel fugiendarum causa est, sed potius hæ illius: nempe cùm veritas in genere sit intellectus cum re conformitas, etiam de rebus agendis vel fugiendis judicium rationis eò rectum esse ac verum censemendum est, quòd res ipsæ ita sunt, uti concipiuntur. Hinc bene Aristoteles de Categ. cap. XII. *Vera autem ratio minime causa est, cur res sit, res que potius causa est quodammodo, cur vera sit oratio. Nam quia res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.*

30. Objecti itaque cum appetitu rationali convenientia vel disconvenientia naturā prior est, quām recta ratio. Ita convenit homini, quatenus ratione & libera voluntate ducitur, ut Deum colat. Sed quare convenit? an quia ratio dictat? minime: Imo quia ea est Dei præstantia ac bonitas, ut debeat colii ab his, qui ratione pollent. Non dico à bestiis: neque enim collendus est Deus, nisi ab iis, qui cultum deferre possunt: at bestiæ non possunt, sed qui ratione pollent, Angeli & homines, ut Dei excellentiam norint, & bonum honorabile ab inhonoro discernant. Quorum proinde appetitui conveniens est, ut quantum aliquid norint esse honorabile, tantum honore prosequantur. Atque ita objecti cum appetitu rationali convenientia vel disconvenientia, non in recta rationis judicio, sed in hoc uno posita est, quòd res ipsæ naturā ita comparatae sunt, ut si referantur ad naturam rationalem, ab illa appeti vel vitari debeant.

31. Du-

9

31. Dari autem de rebus agendis vel fugiendis propositio-
nēs absoluē necessaria, non minus quam de theoreticis cer-
tum atque indubitatum est. Imò omnes propositiones pra-
cticæ in theoreticis fundantur atque innituntur. Theoretica
est propositio, *Deum esse cultu dignum*; cui sua constaret veri-
tas, etiamsi nulla esset creatura rationalis, à qua coli posset: id-
que eò unicè, quod inter prædicatum & subiectum necessaria,
& tanta quidem est connexio, quanta inter Deum & omni-
potentiam. Repugnat enim, Deum esse ens præstantissimum
& summum, nec tamen coli dignum abiis, qui præstantia ce-
dunt, imò quicquid perfectionis habent, ipsi debent. Nunc
quia Deus cultu dignus est, ideo postquam existunt rationa-
les creature, à quibus coli possit, etiam practicè verum & abso-
lutè necessarium est, Deum ab his colendum esse.

32. Ut autem theoreticæ propositiones, sic & practicæ vel
principia sunt vel conclusiones. Principia rursus vel minus vel
magis generalia, vel etiam generalissima. Different autem
principia à conclusionibus, quod illa, præsertim maximè gene-
ralia, ex terminorum evidentiā cognoscuntur; hæ verò per
necessariam & evidentem consequentiam ex iis deducuntur.
Ita non minus ex terminis manifestum est, suum cuique esse
tribuendum; quam totum esse majus qualibet suā parte. Ex
illo principio per necessariam & evidentem consequentiam
conficitur, depositum esse reddendum.

Principia -
Conclusionis -

33. Porrò ut principia theoretica, sic etiam practicæ, quoad
ex terminorum evidentiā innescunt, nobiscum nata dicun-
tur. Quod non de actu, sed de potentia proximā intelligenti-
dū est. Ut enim actu cognita sint principia, requiruntur spe-
cies impressæ terminorum, ex quibus componuntur. At intel-
leñs ab ortu est in star tabula nudæ, cui nihil est inscriptum,

B ut

22.

10.
11.
12.
13.
14.

ut docet Aristoteles lib. III. de anima cap. XIV. Progressu autem temporis, ubi a sensibus externis, intermediâ phantasiâ, rerum singularium species recipit & conservat: nullâ præviâ doctrinâ vel institutione, universalia quoque cognoscit principia, adeò, ut terminorum evidentiâ ad absentiendum iis quasi cogatur. Vide Aristotelem lib. II. post. anal. cap. ult.

34. Et quidem ad principia theoretica sufficit terminorum apprehensio ac notitia, nisi quod antequam ea acquiratur, inductione singularium est opus. Sed ad principia practica cognoscenda insuper requiritur, ne pars animæ irrationalis impedimentum objiciat, sive pravo affectu turbata, sive virtus polluta, ut ostensum est. Hinc quando Aristoteles lib. I. Eth. c. VII. ait: *Ex principiis vero alia sunt, quæ inductione; alia quæ sensu; nonnulla quæ assuetudine quadam; alia, quæ alio quodam modo considerantur: verba non accipienda sunt exclusivæ, tanquam sola consuetudo sit principiorum practicorum fons & origo, sed præviâ singularium quoque notitiâ & evidentiâ terminorum apprehensione. Quippe a singularium notitia est, ut rectè apprehendantur termini: sed ab assuetudine, ne pars animæ irrationalis mente à rectâ terminorum compositione sanoque judicio abducatur.*

35. Ex quibus duo de jure naturæ manifestissima sunt: primum versari in iis, quæ suæ naturâ hominem decent vel dedecent, ex naturali quadam ipsorum cum appetitu rationali convenientiâ vel inconvenientia: deinde omnibus quorum ratio nec præconceptis opinionibus nec pravâ consuetudine in præceps acta est, seclusâ omni sanctione & traditione humana, omnique etiam speciali Dei revelatione, duo lumenis naturæ cognitissimum esse, tunc quoad principia, tunc quoad conclusiones; præterquam quæ per difficilem, remo-

tuim

11.

tum & longè petitum discursum non nisi ab eruditioribus in-
vestigantur & cognoscuntur.

36. Jus itaque naturæ hactenus est propositio practica du-
cta luminis naturæ ex aequo omnibus cognita, aut certe ita
comparata, ut remotis impedimentis ab omnibus cognosci
possit. Quâ ratione actionum restarum est regula. Neque
tantum iustitiae actiones, quibus suum cuique tribuitur, sed &
alias quasvis præscribit, quæ honestè omitti non possunt, licet
omissæ in alterius injuriam non redundant.

37. Ceterum jus naturæ quod dicitur, neque lex est, neque
vix obligandi habet, nisi superioris alicuius voluntate. Neque
enim homo sibi ipsi aut rationi sua obligatur, sed alteri qui i-
dem præcipit vel vetat, quod sua cuique ratio dicit vel pro-
hibet. Tolle superioris voluntatem: tum magna quidem erit
hominis perfectio, sequi rectam rationem; sed non sequi, et si
damnum sit ingens & maxima imperfæctio; delictum tamen,
quod poena maneat, non fuerit. Neque enim verum est, quod
nonnulli statuerunt, sceleratis & intemperantibus vitium ip-
sum pro poena esse.

38. Superior ille ac quasi legislator non nisi auctor naturæ
Deus est. Tametsi enī nulla esset civilis societas, nullaque
ad dandas leges necessaria jurisdictio: hominem tamen ex recta
rationis præscripto vivere solius Dei voluntate obligarentur.
Nequeverò ad istam Dei voluntatem cognoscendam peculiari
opus fuit revelatione aut huic innixa humanâ traditione: Sed
si Deum esse constet, sicut ex principiis naturâ nobis cogni-
tissimum est; tum eodem judicio recta ratio & objecti cum natu-
râ humanâ convenientiam vel disconvenientiam, & Dei ju-
bentis aut vetantis voluntatem repræsentat. Necessarium e-
nīm consequens est, ut quod homines naturâ decet veldede-

cet, idem Deus fieri ab illis vel omitti velit. Siquidem hāc fini omnia condidit, ut in perfectionem naturæ suæ congruam ferantur. Peculiare autem homini præ cæteris animantibus est, ut non modò convenientia sibi ac disconvenientia, sed & Dei creatoris sūi de his voluntatem cognoscat. Unde quando ratio nostra nobis aliud præcipit, aliud vetat, non suā, sed Dei auctoritate id facit, qui talem condidit naturam ac mentem nostram, ut per eam & ex naturali ejus lumine sua etiam voluntas nobis innotescat.

39. Considerari itaque & describi jus naturæ potest duplèiter: primum, ut est regula actionum rectarum, seclusa Dei voluntate; deinde ut est lex aliqua, quæ posterior ratio priorem includit, & hanc nobis definitionem suppeditat: Lex naturæ est naturale quoddam dictamen rationis, per quod Deus homini, ut homini, facienda vel fugienda quasi imperat, quae presum naturā decent vel dedecent.

40. Dictamen rationis hīc voco tūm simplex illud & dianoeticum, quod principia ex se ipsis manifesta repræsentat; tūm dianoeticum, quod conclusionum ex illis necessariā sequelā deducuntur. Naturale autem appello, ad quod mens ductu luminis naturæ ita determinata ab objecto est, ut nihil conferat libera voluntas, quam prorsus antecedit. Tale dictamen neque jus gentium est, neque ullum jus legitimū sive positivū.

41. Differentia & formalis ratio partim ab objecto, partim ab voluntate Dei jubentis aut vetantis pendet: ab objecto quidem, quia id naturā bonum vel malum est, adeoque ita prorsus comparatum, ut non possit non præcipi à Deo vel vetari; ab voluntate autem Dei ipsa, quia absque illa si esset aut *διάτησις* esse poneretur, non foret actu præceptum vel prohibitum, adeoque vi & efficaciâ legis destitueretur. Fundamentum

13

um itaque objectum est, sed voluntas Dei complementum:
ab hac lex divina; ab illo *naturalis* nuncupatur.

42. Longè alia juris legitimi sive positivi natura & ratio est.
Primum cum sit de legis essentia, ut venerit in notitiam; Jus
legitimum non nisi signo ad placitum significante, scilicet vel
oratione vel scriptura, primitus promulgatum innotescit: at
ius naturæ, seclusò tali signo, & semotâ quoque peculiari Dei
revelatione, ductu luminis naturæ cognitum & perspectum
est. Deinde objectum si spectes, prius aliquid naturâ bonum
vel malum est, quam lege naturali sit præceptum vel prohibi-
tum: Imò quia bonum, ideo præceptum, & quia malum, ideo
prohibitum est: ut ita non à libero Dei decreto; sed ab ipsâ objec-
ti naturâ, divinæ voluntatis præceptio vel prohibitio necessi-
tate quadam oriatur. At quod jure legitimo continetur, per se
& naturâ indifferens, adeoque non nisi liberâ legislatoris vo-
luntate præcepit vel prohibuit est. Hinc describit Arist. *jus*
legitimum, quod à principio utrum hoc an illo modo fiat, nihil re-
fert; ubi vero fuerit constitutum (legislatoris voluntate) refert
lib. V. Eth. cap. X.

43. Communis huic legi cum aliis vis obligandi est, sed
hoc major & fortior, quod tūm ab objecto, tūm à Dei volun-
tate, quæ ab objecto determinata est, pendet: cūm cæteræ, quia
tūm & liberâ legislatoris voluntate constant, à lege naturæ vim
obligandi ac robur accipiant.

44. Scholastici duplice legi vim impertunt: *directive*,
quâ arguimur peccati, nisi legem ut regulam sequamur; sicut
ait Paulus *Rom. VII. 7. Concupiscentiam nesciebam* (esse pecca-
tum) *nisi lex dixisset;* & *Coactivam*, quâ prævaricati poenam
incurrimus. Utraque non physica, sed moralis & instrumenta-
ria quædam vis est, quâ nobis ad culpam, & consequenter ad
poenam

22.

20.

10.

14.

13.

12.

poenam imputatur, quicquid contra legem fuerit actum. Cui morali imputationi est locus, etiamsi qui peccavit, actu poenam non luat. Alias penes legislatorem sive judicem, qui inde Aristotelij *jus animatum* dicitur, residet vis coactiva physica, quam poena, quam lex imputat, infligitur.

45. Deutraque legis vi notatae sunt Aristotelis verba *L. X. Eth. cap. X. Adhac etiam & omnino ad omnem vitam opus legibus est. Plerique enim necessitatipotius, quam rationi, & multeis, quam honestati obediunt. Quapropter sunt, qui legislatores censeant iuvitare ad virtutem & provocare homines honestatis causa debere (quam est vis coactiva legis) eò quod probi ex consuetudine præcipue obtemperaturi sunt; illis vero, qui non parent, suntque natura ineptiores, castigationes ac paenas irrogare (quam est vis coactiva): qui autem insanabiles sunt, prorsus extermicare.*

46. Vis coactiva legis non nisi in foro interno se exserit, quod Dei & conscientiae forum dicitur: nempe quia Deus suam cuique conscientiam dedit quasi judicem, ut si contra legem erit, ipsius judicio damnetur. *Rom. II, 15.* At vis coactiva partim ad Dei, partim ad externum & civile forum spectat. Et quidem in Dei foro omnia contra conscientiam patrata scelerata, qui in infinitam Dei legislatoris majestatem offendunt, paenas æternas merentur. Verum in foro externo non nisi suppli ciis temporalibus, nec omnia cum lege naturæ pugnantia delicta, sed quæ & in quantum turbant rem publicam, coercentur: Cætera impunita transcurrit.

47. Latius autem vis coactiva legis naturæ in foro externo non porrigitur, quam ad poenam in genere, & hujus cum delicto & qualitatem. Quæ enim poenæ species maximè convenientia, non determinavit lex naturæ, sed Magistratus arbitratui atque

atque adeo juri positivo commisit. Ita lex utique naturalis dicitur, furtum etiam in civili foro esse puniendum, quia maximè rem publicam turbat: at poenæ genus cum indeterminatum reliquerit, majestas civilis lege positivâ & sic arbitratus suo definivit. Hinc maxima oritur difficultas sic constituendi pñnam, ut quam lex naturæ exigit, æqualitas servetur.

48. Subiectum quod attinet, lex naturæ omnes omnino homines obligat, ubiunque locorum degant. Hinc Aristoteles à posteriori describens id esse ait, *quod ubique eandem vim habet, & non quia ita videtur, vel non videtur l. V. Eth. cap. X.*

49. Fundamentum, quod in subjecto requiritur, ut lege obligari possit, est ratio sive intellectus, & quæ huic in voluntate respondet, libertas arbitrii. Ab intellectu pendet, ut cognoscamus, quid lex præcipiat, quid vetet: à libertate arbitrii, ut obsequamur. Hinc etsi quæ lex naturæ hominibus præcipit, eorum unum arque alterum etiam bestiæ faciunt, puta quod alunt sibolem & tuentur: non tamen quasi lege obligentur, faciunt, sed necessitate & instinctu naturæ. At homines cum possint talia intermittere, & saepè intermittant, ideo præcipue faciunt, quia lex præcepit, & quia sciunt se peccaturos, nisi faciant. Plus itaque hominibus, cum brutis commune non est, quām materia quædam juris ac legis naturæ, v.g. atere & tueri sibolem: cum interim forma, à qua vis obligandi manat, ad solos homines pertineat.

50. Unde etiam bruta si damnum dederint homini, aut peccato ejus inservierint, puniri non possunt: utcunque forte ad detestandum facinus malo aliquo afficiantur. Ita Exod. XXI. 28. *bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidari;* & Lev. XX. 15. *jumentum, quicum homo cubuerit, occidi jubetur;* non in poenam, sed ut homini æstimandi sit copia, quām grave sit peccatum, hominem ab homine occidi, aut rem illicitam ipsi cum

cum iumento esse. Valet enim à minori ad majus hæc consequentia: Si bos cornupeta aut juinentum, cùm non peccare nec ulli injuriam facere possit, tamen ad exsecrandum facinus enecti hominis, aut illicitæ secum consuetudinis humanae, lapidibus obruitur & occiditur: multò magis puniendus est homo, qui homicidium vel adulterium, vel Sodomiticum peccatum, cum sciat esse peccatum, consultò ac dedità opera committit.

51. Ratio fundandi obligationem est intellectus & libertatis usus. Quemadmodum scilicet qui potentiam generandi habet, tum deum auctu est pater, cum auctu genuit: ita homo licet capax sit obligationis naturalis, quatenus ratione est prædictus, non prius tamen obligatur auctu lege naturæ, quam ratione suâ per ætatem uti valet. Neque enim absque rationis usu necessaria illa ad obligationem libertas sibi constat. Statim autem atque ratio ad perfectum usum adolevit, libertas in auctu primo completa est, quam non potest non sequi obligatio. Excluduntur itaque pueri, furiosi & alii, quatenus ratione, quam naturâ obtinent, uti non possunt, sed bestiis similes solo sensuum judicio ducuntur. De pueris concedit quidem Aristoteles, habere eos βγλετικόν, i.e., deliberandi arbitrium, sed imperfectum. I. Pol. cap. XIII.

52. Anquemadmodum in legibus positivis, ita & in lege naturali interpretationi sit locus, disceptari solet a scholasticis. Restè autem illi simplicem interpretationem à correctione distinguunt, quam Aristoteles επιμένεια sive æquitatem appellat.

53. Simplex interpretatio est expositio legis secundum expressam & certò cognitam legislatoris mentem ac voluntatem

rem, in casibus ab ipso optimè prævisis: seu comprehensos lege, seu exclusos voluerit. Et ea quidem legibus naturalibus & divinis nō repugnat. Hinc ipse servator præcepta decalogi, præsertim de adulterio, homicidio, perjurio & caritate proximi istum in modū interpretari videtur *Matth. V.* Ad hanc etiam interpretationem pertinet, quod divina illa de sanctificando Sabbatho lege negat esse prohibitum, ne quis in Sabbatho ægrotos sanet, aut ovem ex fovea extrahat. *Math. XII. 12.* Quem in sensum Maccabæi eandem legem exposuerunt, firmissime persuasi, salvâ illius sententiâ, sibi licere in Sabbatho contra hostes pugnare. *I. Macc. II. v. 41.*

54. Interpretatio altera ex æquo & bono, sive *æquitas*, est *correctio legis eâ parte, quâ deficit, ob universale.* lib. V. Eth. C. XIV. Fundamentum itaque ejus est legis defectus, puta quòd ad hunc vel illum emergentem casum accommodata lex iniqua & injusta efficitur. Ille autem defectus à duobus oritur momentis: primùm quòd generatim atque universè concepta lex est, tanquam omnibus id genus casibus quadret; deinde quòd emergens sicut in specialis casus, in quo lex deficit, à legislatore non fuit prævisus. Illud volenti, hoc invito legislatori contingit, ut docet Philosophus lib. I. Rhet. c. XIII. Quo sensu interpretatio legi naturæ manifesto adversatur. Neque enim ejus præcepta universè & confusè concepta sunt, sed tūm Dei naturæ auctoris expressâ voluntate, tūm ex quo illa innotescit, rationis naturali dictamine; denique ipsâ objecti naturâ ad certam materiam & congruentes circumstantias restricta, quibus iisdem positis ubique valent, nec unquam deficiunt.

55. Quæ in legibus positivis licita est *dispensatio*, videlicet ut manente eodem legis objecto, nec mutata ullâ ejus circumstantiâ, legislator aliquem gravi de causa lege exemptum velit,

C

ea hic

ea h̄ic à s̄uperiori nullo, ne quidem à Deo naturæ auctore fieri potest, quippe quūm prouersus immutabile sit jus naturæ. Dispensare utique Deus de illo jure potest, quod liberrimā voluntate constituit: Cum quā libertate jus constitutum est, eadem penitus abrogari queat. At jus naturæ in iis occupatur, quibus præcipiendis vel vetandis determinata est Dei voluntas, adeō ut neque in uniuersum, neque privatim pro uno atque altero ex mendo possit revocari. Non enim posse non aliquid præcipere vel vetare Deum, & tamen illius faciendi vel fugiendi necessitate ullum velle exemptum, manifestā terminorum repugnantia contradictorium est.

56. Cave autem, ne objecti mutatione pro dispensatione accipiias. Mutari utique id potest, quod sub jus naturæ cadit, aut aliqua illius circumstantia, sub quā præceptum vel prohibitum est, maximè à Deo, cuius potestati ac dominio omnia sunt subiecta: Sed tali aliquā mutatione factā, quia nulla lex objectum suum præcipiendo vetandoque excedit, etiam lex naturæ desinit præcipere vel vetare, quod aliās præcepisset vel vetuisset. Ita cùm Israelitas vas̄a aurea & argentea ab Ägyptiis comodatō accepta jussit auferre deus, neutiquā de lege naturali dispensavit, tanquā quod illā prohibetur furtū, jussu suo licetum ipsis patratumq; fuisset: sed potius cùm furti objectum sit res aliena, Deus mutatā hāc circumstantiā, quā Ägyptiorum erant vas̄a, Israelitis adseruit & fecit propria, cùm pro sua in omnes res supremi potestatedominii, tum quòd pro exaltatis laboribus & durissimis operis ex justitia ipsis deberētur. *Exod. XI.2.* Quod si autem mansisset aliena, non potuisse auferri absque furti & peccati notā, invitis Ägyptiis, manifestum est. Sic cùm, quod *Gen. XXII. 2.* legimus, Deus mandavit Abraham, ut immolatum iret filium suum, non dispensatione qua-

19

quadam potestate ipsi dedit designandi parricidii, contra
jus naturæ; sed quia in omnium mortalium vitam jus, etiam
absque culpe intuitu obtinet, jussu & auctoritate suâ effecit,
ne esset parricidium, quod alias injussu Dei si attentaretur, fu-
turum erat.

57. Ad hæc quæ juri naturæ substrata est materia, s̄epe à
facto humano, vel quacunque liberâ gentium aut populi ali-
eius constitutione proficiuntur. Quod tamē non obstat, quod
minus jus naturæ in se ipso sit & maneat immutabile: siqui-
dem existente tali facto talive constitutione, non potest non
existere materia, in qua excurrat jus naturæ, & præcipiat ali-
quid vel vetet. Ita restare est arbitrii, pacisci cum altero de rea-
liqua velis, an minus. Quod si autem pactus es, pactum ut ser-
vetur, jus naturæ jubet. Gentium quoque placito factum est,
ut homines privatim bona possideant: absque quo si esset,
nulla furandi esset materia: nunc vero privatis possessionibus
introducuntur, ne alteri invito, quod suum est, auferatur, jus na-
turæ vetat. Sic in principiis vel populi positum est arbitrio, ut
quas velit in republicâ valere leges, fanciat: at sanctionibus
legum promulgatis, ut illæ à singulis serventur, juris naturæ
scriptum est: Ex quo patet, quod supra *thes. 43.* obiter insper-
sum est, leges positivæ, intermedia superioris voluntate, à jure
naturæ obligandi vim atque efficaciam nancisci.

Ad

10.

14.

13.

12.

22.

21.

20.

21.

22.

AD LECTOREM.

PAUCULAS HASCHE THESES DE NOBILISSIMO & ALIAS LATISSIME DIFFUSO
ARGUMENTO, CUM ABITUM EX RINTELIENSI ACADEMIA MATORAREM, TU-
MULTUARI OPERA EXLECTIONIBUS CL. PRÆSIDIS COLLEGI, & IN HUNC
ORDINEM DIGESSI. QUAS, BENEVOLE LECTOR, ÄQUI BONIQUE CONSULE, DUM
LAUDATUS PRÆSES, QUAS PRÆ MANIBUS HABET PROLIXAS DE CODEM ARGU-
MENTO DISPUTATIONES, PUBLICI JURIS FACIAT. NE QUOD SUPEREST PAGINÆ,
MANEAT VACUUM, ADJICIO QUÆDAM


COROLLARIA:

1. *T*RACTARE IUS NATURÆ, TUM AD PHILOSOPHOS, TUM AD THEOLOGOS
PERSINET: NIJI QUÒD ILLIFERÈ IN GENERALIBUS SUBSISTUNT; BI-
VERÒ IN THEOLOGIAM MORALI AD SPECIALIA PROGREDIUNTUR.
2. *P*OSSIMA THEOLOGIA MORALIS PARS EST DECALEGOS, QUO QUÆ-
CUNQUE CONTINENTUR, JURIS NATURÆ SUNT, EXCEPTO TERTIO
PRÆCEPTO, QUOD, IN QUANTUM CERTUM, SCILICET SEPTIMUM DIEM CO-
LENDO DEO PRÆFINIT, JURIS POSITIVI EST.
3. *F*VGENTIUM NON EST JUS NATURÆ; SUPPEDITAT AUTEM JURIS
NATURÆ MATERIAM AMPLISSIMAM, IN QUA PRÆCIPiendo VETAN-
DOQUE EXCURRAT.
4. *Q*VÆ EX JURE NATURÆ, AUT PRINCIPIIS PRACTICIS NATURÆ COGN-
ITIONI PER CERTAM & EVIDENTEM CONSEQUENTIAM DEDUCI POS-
SUNT:ILLA, SI IN GRATIAM STUDIOSA JUVENTUTIS TERMINIS IURIDICIS
EXPLICENTUR, AUT ETIAM LEGIBUS JUSTINIANEIS CONFIRMENTUR, NON E-
RIT PERTURBATIO EIS ANNO REV.
5. *P*RÆCEPPTUM DILIGENDI INIMICOS, & HIS BENEFACIENDI, QUOD
MAT. V. V. 44. SERVATOR INCOLCAT, QUOQUE JURIS NATURÆ EST.
6. *P*LATO UXORUM STATUENDO COMMUNITATEM, VENEREM INCE-
STAM NEUTRUM PROBAVIT. VID. DE REP. I. V.

F I N I S.

ad tempus
16. scribit
charizos,
Christus;
vnt ejus
17.
Iohannino
t, quicquid
eritur, lu
ice iusta
ad confir
tellebum.
dia conti
non modo
elementa
nihilum
e. Afrum
mirabitis,
la Stella
mum &
endo, qui
Te fingit,
a; alleg.
9, p. 16.
in aqua
lonarem
i. Co
ela arb
enu sp
Art. 2. f.
spionix
ne dete
un filii
alfrum
has





15

positivo commisit. Ita lex utique naturalis
in civili foro esse puniendum, quia maxi-
mum turbat: at poenæ genus cum indetermina-
tis civilis lege positivâ & sic arbitratu suo
imma oritur difficultas sic constituendi pæ-
nitutæ exigit, æqualitas servetur.
quod attinet, lex naturæ omnes omnino
sicunque locorum degant. Hinc Aristote-
ribens id esse ait, *quod ubique eandem vim*
a videtur, vel non videtur l.V. Eth. cap. X.
un, quod in subjecto requiritur, ut lege ob-
sive intellectus, & quæ huic in voluntate
arbitrii. Ab intellectu pendet, ut cognosca-
piat, quid vetet: à libertate arbitrii, ut ob-
i quæ lex naturæ hominibus præcipit, eor-
iterum etiam bestiæ faciunt, puta quod
mentur: non tamen quasi lege obligen-
tia & instictu naturæ. At homi-
na intermittere, & sâpe intermittent, ideo
a lex præcipit, & quia sciunt se peccaturos,
taque hominibus cum bratis commune-
ria quædam juris ac legis naturæ, v.g. alere
um interim forma, à qua vis obligandi ma-
es pertineat.
bruta si damnum dederint homini, aut
erint, puniri non possunt: utcunque forte
minus malo aliquo afficiantur. Ita Exod. XXI.
si hominem occiderit, lapidari; & Lev. XX.
um homo cubuerit, occidi jubetur; non in
omini astimandi sit copia, quam grave sit
um ab homine occidi, aut rem illicitam ipsi
cum

10. 11. 12. 13. 14. 15.

22.

20.

19.

17.

16.